



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

STATENS SKOLEBIBLIOTEKUM  
Kongevej 15  
København V.

PROGRAMMA,

QVO AD AUDIENDUM

EXAMEN PUBLICUM ET  
ANNIVERSARIUM,

IN

SCHOLA METROPOLITANA

XIV CALENDARUM OCTOBRIS

HABENDUM,

HUMANIORUM ARTIUM FAUTORES ET AMATORES

OFFICIOCISSIME INVITAT

M. NICOLAUS LANG NISSEN,

PROFESSOR & RECTOR SCHOLAE.

---

Memorabilia quaedam ad res scholasticas, in primis scholæ hauniensis,  
pertinentia ex tabulario scholæ transscripta sunt. Fasciculus secundus.

---

---

H A V N I A E 1815.

Typis Directoris JOH. FRID. SCHULTZII,

Aulae et Universitatis Typographi.

Statens pædagogiske Studiesamling  
København V.

---

**P**ersecutus hac saltem scribendi occasione, quæ memorabilia ad res scholasticas pertinentia ex veteri scholæ libro typis edendi consilium cepi, quorumque in programme anni 1813 primum fasciculum publici juris feci, haud inutile quid facturum me ratus sum, si eorum, quæ in illo libro, ex quo et prius divulgata transscripsi et jam divulganda exscripturus sum, continentur, indicem aliquem cum lectoribus communicare ante studeam. Cum enim non nisi pauca supersint, quæ scriptionibus istiusmodi inserere mihi lubeat, cætera vero sint talia, quæ cognoscere non nullius, antiquitatis studiosi, intersit, talibus equidem lectoribus ita consulendum duxi, ut, quid scitu dignum in se habeat codex, de quo dixi, id eos non lateat. Continet vero liber noster, cujus et titulum et ætatem antea dedimus, hæc: 1) Seriem Rectorum scholæ Hauniensis ab anno 1546, fol. 2 b et 3 a;\*) 2) Juramentum Collegarum scholæ, fol. 3 b;\*\*\*) 3) Legum universalium omnibus Collegis scholæ constitutarum partem extremam, fol. 5; 4) Leges singulares infimæ Classis Informatiori

\*) Vid. Progr. anni 1813 pag. 5.

\*\*) Lib. cit. pag. 7.

scriptas, fol. 7 b; \*) 5) Tabulam redituum et emolumentorum Præceptorum scholæ, ut erant anno 1666; fol. 13 a; 6) Scholæ Beneficia: in quibus a) parochias, Discipulis adscriptas, fol. 16 b; b) Victum gratuitum Discipulorum in Communitate, fol. 17 a; c) Distributionem pecuniæ iisdem quovis die Saturni, fol. 18 a; d) item vestium, fol. 18 b; e) item calceorum et indusiorum, fol. 19 a; f) frumentum stipendiarium diaconis locum incolentibus imperatum, fol. 19 b. 7) mercedem funeribus humanis constitutam, fol. 19 b; 8) Cantoris reditus et partes, fol. 20 a; 9) pacificationem scholæ cum symphonico publico, fol. 21 a; 10) nuptialem mercedem, fol. 22 a; 11) Frid. III. litteras ad archiepiscopum Dr. Svaningium de Cantoris provinciâ et obedientia erga Rectorem scholæ, fol. 22 b; 12) De Bassisto conducendo pro victu in Communitate dato, eod fol.; 13) Constitutiones de Uniformitate scholarum et disciplina religiose servanda, fol. 23 a.; 14) Singularum in scholis majoribus classium metas, \*\*) fol. 27 a; 15) res actas inter Rectorem Hilarium et Collegas Ao. 1667 de Beneficiis argenti et panis, post obsessam urbem pauperibus discipulis a Rectore suppeditatis, fol. 29 a; 16) Indicem habitationum et conclavium Rectoris an. 1646, fol. 45 a; 17) de Domo Rectoris per G. Hilarium in melius mutata, fol. 46 a; 18) mutationes scholæ ipsius per eandem factas, fol. 48 a; 19) Reditus Rectoris, Collegarum et scholæ cura ejusdem auctos, fol. 48 b; 20) Quæ memorabilia Rectore G. Hilario in rebus imperii scholæque evenerint, fol. 50 a; 21)

\*) Lib. cit. p. 19-22.

\*\*) Quæ sub hoc numero commemorantur metæ, ut et quæ res sub primis 4 numeris continentur, lingua latina scriptas habet liber noster; cætera sermone vernacula enarrata sunt.

Relationem de beneficiis scholæ ab an. 1652 ad an. 1666 imminutis, fol. 54 a; 22) Senatus consultum Professorum de Deposituris, fol. 58 a; 23) Pactionem Archiepiscopi Dr. Svaningii cum Universitate de Diaconatu Taarnbyensi, fol. 59 a; 24) Rescripta, litteras et fundationes ad Scholam pertinentia, fol. 79 a; 25) Indicem librorum præsertim Musicorum a G. Hilario successori suo traditorum, fol. 94 a; 26) Litteras regias, Rectore G. Hilario, ad scholæ jura et beneficia confirmanda datas; fol. 96 a.

Ex quibus rebus jam quinto loco exscribere placet Classium Metas, quales tunc temporis scholis majoribus erant constitutæ. Est vero in Nyerupii nostri accurata et copiosa latinarum scholarum Historia \*) hujusmodi metarum scholasticarum descriptio ad annum 1656 pertinens, quæ haud pauca habet, in quibus cum nostra descriptione consentit, non nulla vero etiam, in quibus ab ea discedit. Quam vero et consensionem et discrepantiam comparando observare, harum rerum peritos rerumque scholasticarum amantes haud, credo, poenitebit. Quod attinet ad libros in scholis tunc usitatos, præter pauca, quæ in notis descriptioni ipsi subjectis monui, hoc unum hic observare liceat, me de *Centuriis Seidelii*, ut vocantur, suspensum hæreræ, nec, quoniam fuerit hic liber, ne Nyerupio quidem illo consulto, rescire pro certo potuisse. Cum autem in metis supremæ Classis locum habeant, nec librum alium aliquem ad discendam linguam Hebræam commemorari legamus, haud indignum videtur, quod animadvertamus, in scriptis Casp. *Seidelii* a Jöcherö recensis duo laudari huc pertinentia, scilicet a) Portulam grammaticam ad linguam sanctam, e scriptis M. Trostii

## D 2

\*) Nyerup Danm. og Norges Statshistorie, Vol. 3. p. 124.

fabricatam, Hamb. 1637. 4. et b) Tres manipulos lingvæ sanctæ, α. Compendium gramm. brevissimum e M. Trostii Grammatica Hebræa generali desumptum, β. sententias tum biblicas tum rhabbinicas serie alphabetica in 3 classes distributas, γ. carmen morale. Hamb. 1638. 4., quorum librorum hunc vel illum (æquidem priorem intelligi malo) ad lingvam Hebræam in scholis docendam adhibitum, eundem vero ob aliquam causam, jam ignotam, in vulgari sermone Centuriarum appellatione designatum fuisse, suspicari licet. En vero ipsam Metarum descriptionem ex libro nostro depictam.

## V.

*Singularum in Scholis majoribus Classium metæ 1666.*

Pueris *primæ* Scholarum majorum classis hæ metæ sunt propositæ. 1) Catecheseos Christianæ capita una cum explicatione vernacula, usque ad tabulam Oeconomicam, teneant. 2) Lecturam Danicam et Latinam distinctam sciunt. 3) Literarum qualemcunque picturam nosse debent. 4) Paradigmata Declinationum et Conjugationum, cum aliarum vocum regularium inflexionibus, teneant. 5) Vocabula Donato adjuncta cognoscant. Hæc ubi præstare poterunt, ex consilio Rectoris et ipsius adhibito examine in classem secundam transferendi sunt.

Metæ itaque pueris *secundæ* classis hæ sint propositæ. 1) Catechesia Lutheri danicam totam memoriter teneant. 2) Præcepta minima Etymologis et Syntaxeos Latine memoris infixa habeant. 3) *Nomenclatoris* \*) minimi libros 2 priores cum verbis Donato adjunctis sciunt. 4) Vestibulum *Comenii* \*\*) memoriter norint. 5) Latine scribere iaceperint. 6) Literas mediocriter sciunt for-

\*) Sine dubio J. St. *Stephanii* Nomenclator lat. danicus in usum scholarum.

\*\*) Titulus plenus libri est: J. A. *Comenii* vestibulum ante auream lingvarum germanicæ cum versione danica E. O. Marslovii. Accedunt quædam Orthographiæ danicæ observationes. Havn, 1633. 8.

mare et pingere. Hæc assecuti digni judicabuntur a Rectore, qui in tertiam classem transferendi sint.

Metæ pueris *tertiæ* classis propositæ hæ sunt. 1) Catechesin Lutheri danicam totam et Latinam usque ad tabulam Oeconomicam memoriter scient. 2) Præcepta Grammaticæ minimæ plane norint. 3) Nomenclatorem minimum cum appendice memoriæ infixum habeant. 4) *Colloquia* \*) et disticha *Catonis* \*\*) teneant. 5) Latine memoriter scribere scient juxta Præcepta Grammaticæ huic classi constitutæ. Hæc qui præstiterint, in quartam classem sunt invhendi.

Metæ pueris *quartæ* classis hæ sint propositæ: Sciant memoriter 1) Catechesin Lutheri Latino-danicam totam cum Decalogo e Catechesi integra. 2) Præcepta minora Grammaticæ Latinæ. 3) Nomenclatoris min. lib. 2. priores. 4) Colloquiorum minorum lib. 2. priores, et fabulas *Æsopi* \*\*\*) intelligant. 5) Numeros nominare et addere norint. 6) In exercitio stili hunc fecerint progressum, ut sine magnis vitis Grammaticis Latine scribant. His instructus puer Rectoris consilio in quintam ascendat.

Metæ *quintæ* classis Discipulis præscriptæ hæ sunt: Teneant 1) præter Catechesin Lutheri Decalogum et Symbolum Apostolicum ex integra. 2) Præcepta minora Grammat. Lat. et Prosodiæ. 3) Nomenclatorem minorem cum appendice. 4) Colloquia min., *Epistolarum* \*\*\*\*) lib. 1, titulos priores *Civilitatis*, \*\*\*\*\*) et selectiorum *Ponticorum* \*\*\*\*\*) libr. 1. intelligant. 5) Numerare, addere et subtrahere norint. 6) Literas Græcas legere et pingere et nomina simplicia inflectere scient. 7) Emendate scribere Latine scient, ita ut præcepta Grammaticæ (o: non) violant. His instructus adolescens locum merito obtinebit in sexta.

Metæ classis *sextæ* Discipulis hæ sint propositæ. Sciant memoriter 1) Catechesin integram usque ad Qvæstiones. 2) Præcepta majora Grammaticæ et

\*) *Stephanii*, vid. Nyerupii lib. c. pag. 124.

\*\*) Dion. *Catonis* Præcepta seu disticha moralia, lat. et dan. Havn. 1657. 8.

\*\*\*) Latinas ex versione Camerarii, vid. Nyerup l. c. pag. 125.

\*\*\*\*) Ciceronis.

\*\*\*\*\*) Est sine dubio Civilitas morum Erasmi, vid. Nyerup l. c. p. 125.

\*\*\*\*\*) *Ovidii*.

Prosodiæ. 3) Nomenclatorem maj. cum appendice minoris. 4) Declinationes et Conjugationes Græcas vocum analogarum. 5) Definitiones figurarum dictionis et troporum. 6) Quatuor Arithmeticæ species norint. 7) Intelligent Latinos Auctores supra nominatos et Præceptorum suorum usum in iis monstrent. 8) Emendate loqui et scribere Latine sciant ita, ut ad elegantiam quoque hinc incedere incipiant. Qui hæc præstare poterit, a Rectore in septimam classem transferendus est.

Metæ septimæ classis hæc sint propositæ. Teneant memoriter exactissime 1) Catechesin integram. 2) Præcepta maj. Grammat. Lat. 3) Nomenclatorem majorem cum appendice. 4) Præcepta *part. com. Log.* \*) 5) Definitiones et divisiones Figurarum et Sententiæ, Troporum, Generum, Causarum et partium Orationis Rhetoricæ. 6) Auctores sibi expositos intelligant et Præceptorum usum in iis monstrent. 7) Vocum Græcarum quoad totam Etymologiam rationem reddant. 8) Præter Arithmet. quatuor species regulam Proportionum utramque norint. 9) Legere et pingere utcumque literas Ebræas sciant. 10) Emendate Latine scribant ad imitationem propositorum ipsis Auctorum. Hæc ubi attigerint metas, fiet, ut in classem octavam seu supremam transferantur.

Metæ supremæ classis Discipulis hæc sint propositæ. Sciant memoriter 1) Catechesin integram cum Confirmationibus Græcis N. T. 2) Præcepta Grammat. Lat. cum Elegantis. 3) Præcepta Log. Bartholini et Rhetoricæ *Resenii*. \*\*) 4) Selectiores Horatii odas. 5) Præcipua moralia ex Orationibus Isocratis ad Nicoclem et Nicocle. 6) Centurias Seidelii. 7) Quatuor Arith. species in integris et fractis cum Regulis sex vulgaribus et extractione Radicis quadratæ norint. 8) Explicent grammaticæ, logicæ et rhetoricæ Orationes Livianas, Ciceronianas &c. huic classi propositas, item Virgilio Æneidos lib. 2 priores et selectas Horatii odas, cum arte poetica. 9) Intelligent Xenophontis *νόος παιδείας* lib. 1, Isocratis Orationes *ad Nicoclem* \*\*\*) et *Niocolem*, \*\*\*\*) Evangelium Lucæ et Acta, Pythagoræ carmina, Hesiodi *ἔργα* et facilliora in Homeri Iliados primo, et rationem reddant e præceptis Grammaticæ Græcæ. 10) Scribant Latine juxta

\*) i. e. Partis communis Logicæ *Bartholini*, cujus habemus Logicam minorem. Havn. 1625. 8. cf. Metas supr. cl.

\*\*) *Resenii* præceptiones Rhetoricæ. Havn. 1632. 8. Aucta ab *Hilarip* 1643. 8.

\*\*\*) Oratio sec. ad *Niocolem* de regno, præcepta administrandæ reipublicæ complectitur.

\*\*\*\*) Isocratis oratio tertia, *Niocoles*, civium erga reges munus describit.



indolem Lingvæ, quæ in Auctoribus purioris Latinitatis observatur. Has metas qui contigerit, justam studiorum maturitatem, quæ in Scholis et Gymnasiis requiritur, consecutus, censebitur dignus, cum a Rectore ætatis legitimæ vitæque innocenter aciæ testimonium impetraverit, qui civitate Academica donetur. Quos vero Academici Professores judicaverint laudabiliter præ suis Condiscipulis profecisse, tam in stilo Latino et Græco libero et ligato, quam in initiis Matheseos et reliquæ Philosophiæ atque lingvæ Hebrææ, quosque præterea Rectoris testimonium præcipue commendarit a singulari modestia, diligentia et obedientia in Schola præstita, ii in prima classe eorum, qui Civitate Academica donabuntur, collocentur; et eorum singuli binive e singulis Scholis pro Scholæ amplitudine statim consequantur victum gratuitum in communitate Regia.

---

Quas porro sexto loco exscribendas duximus leges universales omnibus scholæ Collegis constitutas, seu potius extremam solummodo istarum legum partem, quam solam continet jam codex noster, has, etsi integræ nequeant cum lectoribus amplius communicari, (periisse enim cum folio quarto priores quinque numeros cum sexti initio doluimus ante\*) et adhuc dolemus) haud tamen ingratas legentibus esse futuras confido. Sive enim ipsum Collegarum munus spectamus in cantu sacro dirigendo tunc temporis non minus quam in litteris docendis occupatum, Discipulorumve officia, quæ non modo ad diligentiam in litteris lingvisque discendis sed etiam ad assiduitatem in Musica choralis exercenda præstandam pertinebant, sive eam curam respicimus, qua discipuli cum e schola ad templum prodeuntes, tum inde ad scholam regredientes, modestiam ordinemque observare tenebantur, tam multa iusunt hisce reliquiis ad priorum illorum temporum indolem cognoscen-

\*) Vid. Progr. anni 1813 pag. 19.

dam, ut multo equidem emerem, si deperdita restitui possint. Post multam vero longamque operam frustra impensam quærendo, an forte integrum harum legum exemplum in aliquo publicorum tabulariorum exstaret, hæc sola jam spes superest, ut, cum typis eas vulgaverim, cognoscam, an alicubi aliusve scholæ in tabulario tale exemplar, ex quo suppleri, quæ desint, queant, servetur. Quod si fuerit, ut significare mihi benigne velit lector, etiam atque etiam rogatur. Leges vero ipsas, quæ supersunt, a fine numeri sexti hisce verbis exsignatas continet vetus liber.

## VI.

### *Leges universales Collegis scholæ constitutæ.*

Templorum D. Virginis, S. Spiritus et D. Nicolai Diaconi Collegæ seu Cantores Psalmodyiam suo singuli in templo moderabuntur, adeoque singulis concionibus, matutinis, antemeridianis, pomeridianis, ordinariis atque extraordinariis, ipsimet interesse omnino tenebuntur, omniaque quoad sacros hymnos emodulandos sic ordinabunt, ne ulla vel a Pastoribus vel auditoribus ecclesiarum suarum, de neglecto vel minus recte curato officio Diaconali, querela audiatur. Curabit præterea Templi cuiusque Cantor, ut primo isto sollemnissimum festorum, Nativitatis Christi, Paschatos et Pentecostes die Musica figuralis ab initio ad finem quam commodissime decentissimeque dirigatur, quod si ipse præstare Collega nequiverit, idoneum sibi aliquem Vicarium Musicæ excellentissimum consensu et voluntate Rectoris adsciscat, cujus pro se opera tantum in figurali dirigenda, tum in choralis moderanda, utatur, sed ita ut ipsemet nihilominus Collega Diaconus omnibus concionibus, una cum Vicario suo, omnino intersit.

## VII.

Inferiores Hypodidascali, Hebdomadarii, per vices tenentur hora sexta matutina in Templo D. Virginis Psalmodyiam præesse in sacris matutinis post concionem diebus singulis profestis, ut et concionibus meridianis, quibuslibet

diebus festis nec non diebus dominicis omnibus; nisi forte ad paroecias suas visendas interdum digressi fuerint, sed et tum, indicata prius Rectori scholæ professione sua, has partes in certum aliquem Collaboratorem suum devolvent, ne quidquam interea in Templo negligatur.

### VIII.

Quolibet die Mercurii Hebdomadarii tres superiores suis cum discipulis per vices comparebunt in Choro D. Virginis, hora sexta matutina, ut cantiones sacras ante et post concionem decenter dirigant, curabuntque, ut, qui suaviori voce gaudent discipuli, in limine chori, finita concione, flexis genibus et complicatis manibus, Litaniam pie modesteque emodulentur.

### IX.

Hymni in choro D. Virginis hora 7 antemeridiana et 3 pomeridiana ab Hebdomadariis itidem per vices consuetas decantandi sunt. Interea diligenter observabunt Hebdomadarii, ut discipuli bini quique modeste juncti e Schola in Templum prodeant et absque strepitu chorum ingressi, moribus compositis, complicatis manibus, flexisque sub precum recitatione genibus, deo devote supplicent, finitisque precibus sine tumultu ad scholam regrediantur.

### X.

Panem eleemosynarium, finitis sacris pomeridianis et lectione vespertina, Collegæ Hebdomadarii variatis vicibus sic distribuere debent, ut inferior Hebdomadarius 4 prioribus Hebdomadæ diebus, superior tribus posterioribus distribuat, singulorum quotidie discipulorum vel diligentiae vel negligentiae tam in Musicae exercitio quam funebri ministerio ratione accurata habita; neque enim permittendum, ut, qui vel ab exercitatione Musicae vel funebri ministerio se subduxerint inferiorum classium discipuli, eo die vel micam panis auferant.

### XI.

Si quæ vel ad suburbanum vel S. S. Trinitatis coemeterium aut Templum deducenda erunt funera, ipso horæ XIImæ puncto prodituri in funus Collegæ comparebunt, interque eos Hebdomadarii omnium classium discipulos, funera illa curaturos, sibi per classium singularum Observatores prius indicatos, evocabunt, quosque cantionibus exequialibus in choro adesse oporteat, ordina-

bunt; si vero Discipulorum hoc in officio vel negligentiam vel petulantiam ad-  
 verterint, eandem Rectori Scholæ confestim indicabunt. Cantui vero exequiali  
 in Templis ante et post concionem funebrem non intererunt modo, sed et præ-  
 erunt ipsimet Collegæ Hebdomadarii, nec solis discipulis hoc tanti momenti ne-  
 gotium temere concedent. Est et hoc omnibus in universum Collegis in exe-  
 quiis honoratioribus cavendum, ne illorum quisquam ante finitas exequias choro  
 aut Templo egrediatur.

## XII.

Providendum quoque serio Collegis in universum omnibus erit, ut,  
 quotquot Scholæ beneficiis, sive pecunia sive pane sive veste eleemosynaria,  
 fruuntur discipuli, in funera prodeant, nec se ab hoc officio vel quacunqve de  
 causa impune subducant.

## XIII.

Si Collegarum quispiam, vel morbo vel graviori aliquo impeditus negotio,  
 funus ipsemet curare nequeat, in alium hanc officii sui curam transferre non li-  
 cet, nisi illum, qui, et moribus decentioribus et voce robustiore simul atqve  
 svaviore conspicuus, his defungi partibus quam commodissime sciat.

## XIV.

Collegarum nemini licitum erit sine Rectoris permissu, Schola vel Tem-  
 plo suo neglecto, aut ex urbe proficisci aut publicas lectiones vel prorsus inter-  
 mittere vel aliam in horam differre, vel inter lectiones publicas e Classe sua  
 exire, nisi, indicata ante Rectori absentiae, moræ vel digressionis suæ causa,  
 Rectorem vel Conrectorem Scholæ rogarit providere, ne suam ob absentiam di-  
 scipuli negligantur.

## XV.

Quicumque Collegarum, edito secundo adeundi Templi signo, diebus ☉  
 et ♀ in Schola non comparuerit, suosque discipulos ante tertium editum signum  
 non lustraverit, inque negligentiores postea debita severitate non animadverte-  
 rit, argenti semunciam pro neglecta tam necessaria officii cura pendat.

## XVI.

Cavebunt Collegæ, ne suis in Museis Symposia ulla sive interdiu sive

noctu, ordinem scholasticam minus decentia, instituantur, neve fumo herbæ nicotianæ nimio Musea inficiantur, aut quicquam præsentibus discipulis, honestis auribus oculisque indignum, committatur.

## XVII.

Ad Musea et cubilia sua vesperi se mature recipiant Collegæ omnes, atque ad editum excubiarum publicarum signum vespertinum, oclulis, quæ ad plateas ducunt, foribus, domi se suisque in cubilibus propriis noctu contineant singuli; neque enim foris pernoctare sano cuiquam et valido Collegæ concessum esto, cum non vitii modo sed et vitiorum suspitione carere honestissimos quosque Scholæ Collegas oporteat.



Postquam hæc scripta erant, cum, repetito de eadem re colloquio cum Nyerupio nostro, viro ut harum rerum doctissimo, ita ad omnia talia paratissimo, legum ejusmodi exemplum in Manuscriptis Rostgaardianis Bibliothecæ Universitatis servari rescissem, ejusque exscribendi copia facta esset, has leges, ne manca prorsus nostrarum descriptio foret, additamenti loco hic apponere visum est; quoque celebrius est nomen viri, *Petri Septimii*, (vulgo Peder Syv dicti) scholæ Nestvedianæ tunc Rectoris, \*) cujus collectaneis inesse reperuntur, eo certius a lectoribus meis appendicis hujus veniam fore exspecto. Sunt vero hæc leges hujusmodi.

## E 2

\*) Antea, quam ad clavum scholæ Nestvedianæ sedere jussus est, Collega classis quintæ scholæ metropolitanæ fuerat; relicto autem hujus scholæ regendæ gubernaculo, in ecclesia Hellestedensi sacrorum minister fuit.

*A p p e n d i x.*

*Leges, quibus Hypodidascalæ scholæ Nestvedianæ parere tenentur. MDCLVIII.*

I.

Hypodidascalorum prima et summa sit cura, ut cum vera pietate mores honestos et vitam probatam conjungant, suisque discipulis pietate et omnis generis virtutibus præeant.

II.

Rectori scholæ debitum obsequium reverenter præsentent, et juxta ejus consilia et monita, sine ulla contumacia aut tergiversatione, officii sui partibus et in templo et in schola fungantur.

III.

Horas constitutas accuratissime observent et potius ante quam post auditam horam in schola compareant. Qui post auditum primum quadrantem venerit, XII solidos, qui prorsus abfuerit, alterum tantum exponet in pauperum sed industriorum discipulorum usum.

IV.

Si quis urgentem absentiae causam habuerit, Rectori id indicet, ut alius interim, qui ipsius munia implere commode possit, substituatur; cæterum ad constitutum tempus omnino redeat.

V.

Officium et studia sibi esse curæ sinant, ideoque etiam, ubi mensam habent, non diutius sedeant.

VI.

Omni conatu in id incumbant, ut disciplina scholastica inviolata conservetur, eandemque ob causam, Rectore et cæteris Collegis interdum e schola justis de causis exeuntibus, maneat unus illorum in schola, qui discipulos in silentio et officio contineat, ut modeste, sine strepitu et clamore in schola maneat et deinde egrediantur.

VII.

Duæ horæ quovis die Musicæ tribuendæ, sed diebus Mercurii et Saturni una tantum. Hebdomadarius autem interea adesse et cum pueris, juxta ordinationem Regiam, Musicam exercere rudesque ejus artis informare tenetur.

## VIII.

In introitu templi aut funerum deductione accurate discipulos ab utroque laedere observent, ut bini modeste incedant, ne dissoluto ordine petulantiam aliquam inter eundum exercent.

## IX.

Officio suo in omnibus partibus, docendo, corrigendo, cohortando, dehortando et castigando, bona fide satisfacere summopere contendant. Pueros tamen poenas negligentiae et improbitatis commeritos non amarulenter nec crudeliter tractent, sed sine affectibus pro ratione delicti de illis poenas sumant.

## X.

Conversentur quoque cum doctis, piis et bonis viris, omnemque discipulorum familiarem consuetudinem fugiant, neque cum illis potare, ludere vel liberius confabulari unquam ausint, ne, ipsi disciplinam scholasticam violantes, se indigne ad hoc officium promotos esse ostendant.

## XI.

Quoties habentur preces et conciones in primario urbis templo, omnes, si fieri possit, adsint, atque ita bono pietatis exemplo aliis prae luceant; omnino autem unus illorum compareat, qui non solum discipulos in officio ad modestiam, silentium et pietatem contineat, verum etiam hymnos, vel ipso praesente Rectore, incipiat. Sed, siquidem curator infimae classis videatur ante aliquot annos ad id in Collegarum numerum receptus, ut Rectorem scholae et Collegas reliquos levaret aliqua molestia; quorum etiam non nulla capit praemia, ipse quovis die dominico et festo adesse et cantiones incipere tenetur.

## XII.

Summatim potationes, adulteria, scortationes et alia detestabilia vitia imprimis fugiant; honestae vero vitae, pietati, bonae cum Collegis conversationi et discipulorum commodis promovendis enixe operam dent.

## XIII.

Qui hasce leges violaverit, nullumque admonitionibus Rectoris relinquens locum, vitam in melius non mutaverit, aut etiam gravius deliquerit, schola excludatur et alius in ejus locum substituatur.



Præter stipendia e funeribus, nuptiis et parochiis, quibus frumentum annuum erat imperatum, ad pauperum discipulorum usus olim redundantia, alia quoque alimenta in natura iis vel quotidie vel quavis hebdomade præbita fuisse constat. Cumque ad pristinum rei scholasticæ statum seculique, hac spectata, ingenium cognoscendum non nihil videatur valere, si de beneficiis, cujuscunque generis fuerint, exploratum habeamus, quibus pauperum olim discipulorum necessitatibus consultum ita ibatur, ut in tenuitate rei familiaris cum schola frequentes uti, tum tantum sacrum haud negligenter curare possent, non, credo, lectores poenitebit, hasce codicis nostri paginas, quæ de his rebus agunt, ipsis veteris libri verbis, et servata quidem antiqua lingvæ vernaculæ orthographia, exscriptas legere.

## VII.

*Victus gratuitus discipulorum in Communitate, distributio pecuniæ quovis die Saturni, item vestium, calceorum atque indusiorum.*

r.

Der vaar för Kjübenhaffns Beleyring af Disciplerne 12 Personer, som hæffede Kongens *Kost* i Communitetet hosf Studenterne, mens ved et Bord for sig sielff, och annammede Oeconomus Communitatis paa Provianthuszet, hvis de schulde spiißes med, som vaar en sær aarlig Genant til Scholen for den Opvartning med Sangen udi Slodtz Kircken, nemblich:

Rug	.	.	.	.	14½ pd. 2½ schp.
Biug	.	.	.	.	22½ pd. 6 schp.
Flesch	.	.	.	.	5 Schp. 4 Lpd.
Sild	.	.	.	.	13 Tönder
Biuggryn	.	.	.	.	3½ Tönde
Erter	.	.	.	.	3¼ Tönde.



